NOBILISSIMO, ILLVSTRISSIMOQVE VIRO, D. DOMINO NICOLAO DE VERDVN, EQVITI, AMPLISSIMIQVE ORDINIS PRINCIPI, MICHAEL SEGVYN. S.

*M*EDENDI *ars diuino munere mortalibus concessa* (Præses amplissime) *siue ægris opituletur, siue sanis cautum velit, magnâ sui fiduciâ potentiorum domos ingredi non formidat. Atque illa quidem, cùm morbos profligatum venit, sæpe remediorum amarore vtilior est quàm iucundior: verùm, cum facilem & expeditam tuendæ valetudinis rationem tradit, quis obuiis eam vlnis non excipiat? Non est certè, quod metuat ne tua illi frigescant limina, néue aut vilem putes seruatricem hominum artem, aut ignotam despicatim intuearis ac repellas. Nam, vt tua singularis humanitas meliorem spem non præbeat, hinc tamen bene augurandum esset quod iuris scientiam, in qua præcellis, ita tibi familiarem reddidisti, vt nullam liberalium disciplinarum prætereris insalutatam, eorum scilicet more, qui multas vrbes peregrinando visunt, sed cæterarum principem incolunt. Quisquis te in augustissima illa non minùs facundiæ quàm iustitiæ Curiâ aliquo sermonis apparatu dicentem audiit, is,* aurem si modò non habet Batauam, *miratus in te est & immensas vtriúsque linguæ opes, & ex omne genus scriptoribus, atque adeò ex omnibus disciplinis insignes locos grauésque sententias. Quæ ideò verbosiùs persequor,* (Præses amplissime) *non quòd cæteras virtutes tuas ignorem multò etiam præstantiores, vitæ sanctitatem, animi magnitudinem, rerum prudentiam, quæ te in Tolosani Senatus prima sede collocarant, indéque Parisios reducem ad penè summum honorum fastigium euexerunt: sed hæc, inquam, verbosiùs persequor, vt votis abblandiar meis, eámque spem confirmem fore, vt hoc, qualecúnque est, quod illustrissimo nomini tuo dicare ausus sum, tuísque auspicijs propugnare paro, quia literarium est, non respuas. Quod ad me attinet, dignitatem non satis intelligere viderer tuam, si tantæ auctoritatis virum,* quo multæ magnæque secantur iudice lites, *ad nostras etiam controuersias arbitrum inuitarem. Nihil amplius oro obtestórque, quàm vt istud obseruantiæ meæ pignus ea fronte mentéque accipias, qua parentem soles meum tuæ tuorúmque valetudini excubantem. Si paterni erga te obsequij vestigijs insisto, atque hac nuncupatione iam nunc testatum cupio, quis iure id reprehendat? Faxit Deus, vt eâ duntaxat medendi parte, vnde hæc Theoremata deprompsimus, diu viuas incolumis. Vale, Vir illustrissime, iterum ex animo precor, Vale.*

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIII. NOVEMBRIS, MAGISTRO IOANNE TOVRNIER DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An laboris & cibi æquabilitas sanitatis custos?

HVMANÆ vitæ felicitas *mens sana in corpore sano.* Sanitatis & vitæ dispar ratio est: hæc primus animæ corpus organicum perficientis actus, nutritionis parens; illa naturalis partium corporis constitutio functionum opifex: vtraque tamen amicâ natiui caloris elementari nobilioris, cum humido primigenio, nunquam reparabili, coniunctione seruatur. In horum copia positum est vitæ diuturnæ fundamentum, vt in eucrasia & symmetria, sanitatis; cuiùs quidem præsentis per similium vsum conseruatione nihil optabilius: absentis per æqualis gradus contraria reuocatione nihil iucundius. Vbi nulla restituendæ facultas datur, vita proroganda, quam sæpe minuunt morborum depulsioni vel accommodatissima præsidia: quidquid contrà prosperæ valetudinis tuendæ gratiâ geritur, vitam simul tuetur.

SVA cuiúsque partium similarium (à quibus venæ & arteriæ expungendæ) temperies, ex quatuor elementorum, formas in composito retinentium, mixtione consurgens, laudabilísque organicarum perfectam actionem edentium structura, & naturalis omnium cohæsio, sanitatis non exigua latitudine coërcitæ sunt effectrices: sed quam perennis substantiæ iactura, & temperamenti mutatio, ab indigenis non tâtùm aduenis inuecta causis, diu non sinit perennare, ni similis effluenti substantia, ex alimento solido, liquido, aëreo, per nutritionem reliquarum functionum basin, continenter sufficiatur. Cúmque alimentum, quantumuis συγγενὴς & εὐπρόσφυτον, aliquid contineat corpori dissimile & alendo ineptum; necessariò hinc emergit excrementorum prouentus, quæ si exitu prohibeantur, putredinem variorum morborum pabulum concipiunt: at tempestiua eorum exclusio alter est tuendæ sanitatis scopus, quæ in vacuationis & repletionis æquabilitate consistit.

AT cibi proprium est vacuationis detrimenta sarcire, laboris autem repletionis superfluæ damna vacuando & consumendo arcere. Contrariis quidem inter se viribus pollent cibus replendo, & labor deplendo; sociabili tamen consortio mutuas ad sanitatis custodiam operas tradunt, in eorúmque symmetria totius iucundæ salubrísque vitæ cardo vertitur. Ac labor alimento præmittendus, cùm ingenitum nobis calorem, functionum omnium opificem, intus velut torpescentem suscitet, foras euocet, & in omnes corporis partes diffundat, membris robur & duritiem conciliet, spirituúmque celeritati addat aculeos. Ipsa deambulatio matutina aluum deiicit, vnde homines non minùs redduntur εὐαγέες, quàm mulierum mensibus, sola copia peccantibus, vt decet repurgatarum facies reliquis sunt ἀγλαώτεραι. Hinc igitur alimenti concoctio, distributio, nutritióque felicior. Aulicos mox à pastu saltare non minùs noxium, quàm Scholasticos pilâ ludere.

MALE Prodicus πόνοι πόνῳ curabat, febricitantes fame & laboribus enecans. Vbi fames (calidi & sicci appetitus, vt sitis frigidi & humidi) exerceri non oportet, sed ijsdem quibus constamus refici. Nihil vno elemento, nihil odore nutritur. Ex quolibet non fit quodlibet, nec quiduis quîuis alitur. Vitæ proportionem habere oportet, quod in viuentis substantiam cessurum est. Ridiculè Paracelsi asseclæ non longæuam modò, sed perpetuam vitam auri potabilis vsu pollicentur. Citiùs venena nutriant, quàm incoctilia metalla, licet quorumdam splendore spiritus recreentur. Nos ea duntaxat alunt quæ vixerunt, vt stirpes, vt animantia; vel quæ ex his prodierunt, mel, lac, oua. Ciborum vtilis quidem ad sanitatem delectus εὐχύμων καὶ εὐπέπτων, sed magis necessaria sobrietas seu ἀκορίη. Paulò deterior potus & cibus, verùm suauior, cæteris præferendus. Assueta quamuis peiora minùs molesta. Itaque ad insolita transire commodum, & omnibus sic assuescendum, vt *ne quid nimis.*

LABOR, cibus, potus, somnus, venus, omnia mediocria. *Natis Venus alma creandis seruiat.* Immodicam virium exolutio & vitæ grauibus morbis atque interdum spurcissimis ex illicita contractis stipatæ breuitas consequuntur. Longior somnus excrementa supprimit, plumbeúmque corpus & ingenium reddit. Cibi potúsque πλησμονὴ non tantùm πληθώρην facit, æqualem humorum omnium exuperantiam, tàm ad vasa, tensione; quàm ad vires, grauitate dignoscendam; sed etiam in aluo σπατίλην, in venis putredinem & corruptionem, in corporis habitu extenuationem, arthritidem & pustulas. At ex laboris supra cibos victoria corpus incalescit & siccatur, bilis augetur, febris accenditur, fluxiones cientur, immatura senectus acceleratur. Hæc & longè plura malorum genera ciborum & laborum æquabilis inter se societas & commoderatio facilè arcebit, præsentémque corporis sanitate fruentis statum conseruabit adiectione deficientium & detractione redundantium, quibus officiis artium præclarissima Iatrice, summi Præceptoris iudicio, tota continetur & definitur.

Ergo laboris & cibi æquabilitas sanitatis custos.

Asserebat MICHAEL SEGVYN *Parisinus, anno R. S. M. DC. XIV.*

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Desgorris.
M. Renatus Chartier, Med. Reg.
M. Franciscus Placet.
M. Andreas du Chemin.
M. Georgius Arbaud.
M. Stephanus de la Fon, Prof. Reg.
M. Iacobus Letus.
M. Ioannes Riolan, Prof. Reg.
M. Guillelmus de Baillou.